



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem Sancti Thomæ Tomvs ...

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Variis modis præcedens opinio explicatur, ac defenditur. cap. 5.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

11. Albert. s. Thom. Ricard. Marfil. Marro. Argentin. Bauor.

& (vt aiunt) natura præcederet beatitudinem. Hanc opinionem tradiderunt Albertus 2. p. summa tractatu 4. q. 19. s. Thom. quodlib. 9. q. 4. artic. 3. sine 8. & in 2. d. 5. q. 2. art. 2. & eadem d. Bonau. art. 3. q. 2. Agidius q. 2. art. 2. Ricard. art. 2. qu. 1. Marfil. in 2. q. 4. art. 2. conclusionem 4. & seq. corollariis. Ioannes Maiorini in 2. d. 7. q. 1. demum Thomas de Argentina d. 4. & 5. qu. 1. art. 4. docet, ita esse occultum, utrum meritum fuerit prius an simul duratione, cum ipsa beatitudine: vt nullus mortalium id scire possit, nisi Deus reuelauerit. Additque, ea omnia, quæ contra hanc opinionem afferuntur, nullius esse momenti: quare & eam probabilem esse ceter. Adde etiam Maiorem loco inferius allegando, qui in eo saltem cum Doctoribus huius sententia conuenit, vt licet ita factum non fuerit, poterit tamen simul duratione esse meritum vitæ æternæ cum ipso. Omnes vero huius opinionis authores in eo cum Doctoribus præcedentis conueniunt, vt meritum vitæ æternæ non fuerit prius ipsa beatitudine ademptione. Commune autem fundamentum eius est, quia hi omnes existimant primum, Angelos non fuisse in gratia creatos: quare & in primo instanti nec fuisse beatos: nec vitam æternam promeritos fuisse: deinde nihil ob stare, quo minus simul duratione sint meritum, & præmium, vt constat in augmento charitatis, & eius merito: cum igitur simul duratione esse possit meritum vitæ æternæ, & ipsa vita æterna, seu beatitudo: non sine fundamento videtur dictum, simul duratione meritum beatitudinis, & ipsam beatitudinem in Angelis fuisse: imo vero addit Agidius eodem modo philosophandum esse etiam in opinione eorum, qui dicunt Angelos in gratia creatos fuisse, vt simul duratione fuerint creati in gratia & beatitudine cum merito ipsius beatitudinis: ceterum, quia omnes Doctores allegati docent Angelos non fuisse in gratia, nec in beatitudine creatos, via Angelorum secundum hanc opinionem ita debet disponi, vt boni vnum tantum habuerint instans discreti temporis, iuxta ea, quæ inferius dicemus, in quo fuerint in pura natura; in secundo vero instanti in gratia, merito, & beatitudine constituti; at vero mali in primo instanti in pura natura, in secundo, peccato maculati, in tertio supplicio fuerint additi.

12. Hanc sententiam varie explicat, & defendunt Doctores eius, verum antequam sequenti capite singulorum rationes eam explicandi, & defendendi examinemus, placuit in hoc præfati vniuersim eam impugnare, quatenus affirmat Angelos non prius tempore beatitudinem fuisse promeritos, quam essent beati, quia constat homines prius tempore promereri vitam æternam, quam illam consequantur, & tunc dicuntur esse in via, & ipse vitæ æternæ laborare, & hoc idem fieri potuit in Angelis, idque si fieret, maxime videretur consentaneum providentiæ diuinæ circa creaturam rationalem; præsertim vt inter malos, & bonos prius distingueret, quam illis aut præmium, aut supplicium assignaret, ergo id factum fuisse, asserendum est, præsertim cum nulla ratio cogat asserere, opposito modo factum fuisse: nam si aliquid rationes oppositæ sententiæ probant, illud sane solum est, nihil repugnare, simul duratione in Angelis fuisse præmium, & meritum, quod satis non est, vt ita factum esse asseramus. Porro hoc maxime pugnare cum vera ratione meriti vi-

te æternæ, sequenti capite non obscure monstrabimus. Hæc est, mea quidem sententia potissima ratio, quæ prædictam opinionem vniuersim refellit. Alias tamen duas, quæ contra illam afferri solent, antequam ad alia procedamus, paucis examinare visum est.

Prior ratio est Scoti, & Gabriel. & Maioris locis inferius allegandis, in hunc modum: ad rationem meriti necessaria videtur voluntas, quæ mutabiliter operetur, hoc est, libera voluntas, quæ possit velle oppositum, aut à proposito cessare: sed in statu beatitudinis voluntas non operatur mutabiliter: ergo non potest in eo statu ipsam beatitudinem mereri: hæc tamen ratio nihil probat: nam libertas illa non videtur necessaria ad rationem meriti: siquidem Christus acceptans præceptum moriendi merebatur, & tamen voluntas eius non operabatur tunc ita mutabiliter, vt posset oppositum velle. Denique ad rationem meriti licet sit necessaria aliqua libertas, & sufficiat quoad exercitium; tamen libertas peccandi, & volendi oppositum nequaquam requiritur, imo id asserere, videtur absurdum, quia ex tali opinione sequitur, Christum non potuisse mereri operibus præcepti, quia neque peccare potuit contra illa, vt late ostendam 3. p. q. 19. art. 3. Porro non possum non mirari Scotum, quod sui non memor hac ytatur ratione: siquidem, vt referam 1. 2. q. 4. art. 1. ipse plane sentit beatum non necessario moueri ad dilectionem Dei ex clara visione, sed ab ea libere cessare posse, & contrarium velle, atque peccare: sic enim potius inferre deberet, Angelos in beatitudine potuisse sibi mereri beatitudinem, etiam si mutabilitas illa voluntatis ad rationem meriti necessaria esset.

Rationes Scoti & Gibr. contra præcedentem opinionem expendantur.

14.

Posterior ratio est S. Tho. in hac qu. art. 4. quæ talis est: omne meritum gloriæ supponit gratiam imperfectam, & nondum consummatam tanquam radicem sui: qui autem est in beatitudine, iam habet gratiam consummatam, ergo non potest mereri. Hanc rationem impugnat Scotus loco allegando: quia fieri potest, vt quis in via tantam habeat gratiam, quantum alius habet in patria: ergo ex illa parte nihil obstat, quo minus ille, qui est in patria, mereri possit, sicut ille, qui est in via. Verum mentem S. Thom. in hac ratione Scotus non satis intellexit: nam sanctus Doctor non ideo appellat gratiam imperfectam & nondum consummatam, quæ esse debet principium meriti, quia remissior sit, quam gratia beatitudinis, sed quia nondum est in termino & beatitudinis statu confirmata. Ceterum, quamuis hoc modo intellecta propositione maior quam assumpsit S. Thom. recte inferatur, nullum esse posse meritum simul duratione cum statu beatitudinis, tamen ea maiore propositio confirmanda prius erat: nam de ea videtur præcipua difficultas in prædicta opinione. Mitto tertiam illam rationem, qua quidam videntur contra hanc opinionem, assumentes vt principium illius, meritum debere in vniuersum prius duratione esse, quam præmium. Hæc enim propositio manifeste falsa est, vt constat ex fundamento huius opinionis, quod supra allatum est, siquidem meritum augmenti gratiæ simul duratione esse potest cum ipso augmento gratiæ.

Ratio S. Tho.

15.

CAPVT V.

Variis modis præcedens opinio explicatur ac defenditur.

Cum præcedens sententia non parum difficultis sit, Doctor, qui eam consequatur, non eodem

H h 4

Modus expli-
candi Agidij
primus.

dem modo eam defendunt, sed variis modis con-
nantur eam elucidare, & faciliorem reddere. Et
quidem Agidius non vno sed multis modis eam
explicat, ex quibus tres præcipuos hic recensere,
& impugnare proposui. Primo igitur eam intel-
ligit Agidius hoc modo, vt præmium beatitudi-
nis non consistat in aliqua operatione beati, ne-
que intellectus nec voluntatis: sed sit ipse Deus,
qui est obiectum ipsius visionis, & dilectionis,
quam habet beatus, & soler appellari beatitudo
obiectiua: meritum vero beatitudinis sit ipsa actio
dilectionis, qua Deum vt beatitudinem suam di-
lexit: quare hic author hoc modo explicans hanc
sententiam, non constituit rationem meriti in
aliis operationibus beati, sed in ipsa dilectione
Dei clare visis, ita vt dilectio Dei sit meritum. Deus
autem, quem habet pro obiecto, sit præmiu eius.

16.

Resoluitur.

Verum hæc explicatio falso videtur fundamen-
to, constituens præmium, quod est beatitudo non
in operatione, sed in ipso Deo, quem habet beatus
pro obiecto: cum tamen ex omnium S. holo-
sticorum sententia constet, formalem nostram
beatitudinem debere esse operationem nostram,
vt 1. 2. quæst. 3. art. 2. & 3. videbimus, ergo id quod
cadere debet sub meritum, non est solus Deus,
sed operatio, qua media Deus nobis coniungitur
vt summum bonum: neque enim foris aliter beati-
sumus Deo ipso, sed consequuntur ipsius Dei,
quæ est operatio nostra aut fructioe ipsius, quæ
sibi illiter est operatio nostra. Ex quo etiam fit, vt
vniuersus beatitudinis præmium consequatur,
quæ n alij: si tamen Deus secundum se esset præ-
mium nostrorum meritorum, non posset intelli-
gi, qua ratione vnus consequeretur maius præ-
mium, quam alij. Neque dicere possumus, si vt
Agidius existimat, præmium beatitudinis nostræ
principalis esse Deum, minus autem principali-
ter operationem nostram circa ipsum: namque vt
ostendimus 1. 2. quæst. 4. art. 1. non est duplex finis,
Deus, & operatio circa Deum, sed ex vtroque
constituitur vnus integer finis & bonum nos-
trum, neque enim Deus potest esse bonum nos-
trum, nisi operatione coniunctus: & ita neque
finis noster, neque operatio sine obiecto ipso est
nostra beatitudo. Quomodo autem ex vtroque
fiat vnus integer finis, eo loco explicandum est.

17.

Age tamen concedamus Agidio, Deum se-
cundum se esse beatitudinem nostram, & præ-
mium essentialiter principaliter: nihilominus nulla
ratione principaliter: nihilominus nulla ratione
defendere ipse potest, amorem Dei in patria esse
meritum ipsiusmet Dei, quem habet ipso obiecto,
& esse priorem natura ipso Deo. Primum
quia inepte dicitur actio, que versatur circa ali-
quod obiectum, meritoria eius. Deinde quia non
potest esse prior natura sua, quam obiectum, circa
quod versatur: impossibile enim est, aliquo mo-
do intelligere aut conserpere operationem amoris
sine obiecto, circa quod versatur: ergo amoris
operatio non potest esse meritoria ipsius Dei,
quem habet pro obiecto. Et quamuis operatio,
quæ est motus & productio alicuius termini, sit
prior natura vt via, quam terminus ipse in facto
esse eo quod est actus imperfectus entis in po-
tentia prout in potentia, sicut definitur 3. phy-
sicornum cap. 2. & ideo dicitur *Endelechia*:
tamen operatio voluntatis, & intellectus non est
huiusmodi, nec ita comparatur cum obiecto, cir-

ca quod versatur: quia non est productio ipsius
obiecti, sed versatur circa obiecta iam producta,
ipsa nempe cognoscendo, aut amando, & ideo
dicitur actio grammaticalis, vt explicauimus su-
pra disput. 14. cap. 4.

Secundo modo eandem opinionem defendit,
& explicat idem Agidius distinguens actum amo-
ris Dei in patria, & ipsum considerans duobus
modis, & vt meritum & vt præmium, ita vt idem
amor sit secundum se ipsum præmium, & meri-
tum: ne asserat, Deum secundum se esse præmium
nostrum. Considerat autem amorem Dei in pa-
tria vno quidem modo vt elicitur prius natura à
gratia & charitate, & hac ratione dicit esse meri-
tum: alio modo quatenus terminatur in Deum
vt obiectum, per quem Deus coniungitur & ha-
betur vt præmium, & hac ratione dicit, ipsum et-
iam actum amoris habere rationem præmij com-
paratum sibi ipsi priori modo.

Ceterum hic etiam modus non minus falsus
est, & sine vilo fundamento probabilis. Pri-
mo quidem quia meritum, & præmium vnus est
distinguitur secundum rem, vt in omnibus aliis
inductione constat: cur ergo in Angelis non est
idem dicendum? Secundo ex prædicta sententia
sic explicata sequeretur homines etiam mereri sibi
beatitudinem eodemmet actu, quo sunt beati,
aut quo in patria diligunt Deum: liquidem in ali-
is non minus potest ille actus amoris duobus ali-
is modis considerari, quam in Angelis: recte
bit respondere, in Angelis habuisse rationem
meriti propter actum quod requiritur ad ratio-
nem meriti: in hominibus vero non item, quia
pactum non intercessit: nam ridiculum est, tale
pactum admittere, vt idem opus sit sibi ipsius me-
ritorium: quis hoc non videt? Tertio commen-
titium plane est, actum dilectionis in duos illos
distingere, quando talis distinctio nec per intelle-
ctum fieri potest, nec prius natura, aut ratione cogi-
tari à nobis actus vt elicitus à voluntate, quam vt
terminatus ad obiectum: quocumque enim mo-
do considerare velis dilectionem, includere &
respicere debet obiectum: nam dilectio aliter
tanquam obiecti dilectio est. Quare vna indistincta
omnino ratio est actus prout elicitus à voluntate, &
prout respicientis obiectum: quod si vt dicitur
duerit possunt cogitari, saltem fieri non possent, vt vna
prius, quæ alia intelligeretur: sed vt in eodem
actu amoris, vt amor est, necessario includeret.

His rationibus probatum manet, per ipsum
actum dilectionis Dei in patria neminem posse
mereri beatitudinem, si eam dicamus consistere in
ipso actu dilectionis, vt putat Agidius. Si au-
tem dicamus esse in visione ipsa, facile quoque
monstrari potest non posse beatum mereri beati-
tudinem dilectione Dei clare visam, quæ vi-
sumus capite tertio, nempe quia principium me-
riti non potest cadere sub meritum. Quod cum
actus charitatis circa Deum clare visam, oritur
ex visione tanquam ex principio recte sequitur,
non posse mereri beatitudinem, si beatitudo in
visione Dei constituitur. Atque in vniuersum ni-
hil posse Angelum, aut beatum mereri per actum
actum dilectionis Dei, ex eo facile probatur, quia
actus ille est omnino necessarius quoad exerci-
tium & quo ad specificationem: ad prout nullus
meriti capax. Porro autem non potest esse in beatis
actum dilectionis Dei liberum, vt à quibusdam
tribuitur.

tribuitur Christo, terminatum ad Deum non vt visum clare, sed vt cognitum alio genere cognitionis, facile ostendimus 3. parte quest. 19. art. 3.

Tertius modus Ricardi.
Tertius modus defendendi prædictam sententiam sit Ricardi, qui cum dicat, simul tempore fuisse in Angelis beatis præmiū, & meritum; hunc ordinem inter illa assignat, vt primo fuerit motus liberi arbitrij in Deum, in quo incepit conuersio Angeli in Deum: secundo infula fuerit gratia habitualis: tertio infulus fuerit gloriæ habitus, per quem fuerit confirmata eius conuersio: qua quidem ratione docere videtur præmiū, quod Angeli in patria meruerunt, fuisse infulionem habitus gratiæ & gloriæ.

Repetitur.
Ceterum hic modus explicandi prædictam sententiam minus sufficiens est. Primum quoniam non est idem mereri beatitudinem, & mereri habitum gratiæ, & gloriæ: beatitudo enim nostra non in habitibus, sed in operatione posita est, vt 1. 2. quest. 3. art. 1. ex communi sententia Scholasticorum dicemus. Deinde quia neque infulionem horum habituum in patria mereri potest beatus per actum conuersionis in Deum, qui est dilectio eius: quoniam actus dilectionis Dei in patria, vt proxime dicebamus, est necessarius quoad specificationem, & quoad exercitiū: ergo non potest esse meritorius infulionis habitus gratiæ aut gloriæ. Fateor quidem, per talem actum potuisse Angelos mereri talem infulionem, si ordine efficientis actus ille processisset, & liber esset. Ceterum quia necessarius fuit, non potuerunt eam mereri. Præterea licet mererentur horum habituum infulionem, non posset dici meritis fuisse ipsam beatitudinem: nam beatitudo non in habitu, sed vt paulo ante dicebam, in operatione intellectus, aut voluntatis subsistit, operatio aut intellectus cadere non potest sub meritū actus charitatis, quia charitas oritur ex visione, & principium meriti non cadit sub meritum, cuius est principium. Deinde operatio voluntatis, quæ est dilectio Dei, non potest cadere sub meritum ipsius, vt supra probatum est. Postremo si dicat aliquis, beatitudinem esse in actu delectationis idem probatur, quia quamuis delectatio sequatur actum amoris Dei, non posset dari propter meritum dilectionis, eo quod delectatio naturali quadam necessitate proxime oritur ex visione.

Quartus modus explicandi prædictam sententiam est Ioannis Maironij loco citato, vbi docet, Angelos beatos promeritos fuisse beatitudinem, non per actum dilectionis & charitatis erga Deū, sed per alios actus non quidem futuros postea, vt dicebat Magister, & alij, quos capite tertio impugnauimus, sed per alios actus, qui simul duratione fuerunt cum visione, & charitate, tunc enim Angeli beati potuerunt habere voluntatem obsequendi Deo in salute animarum procuranda, & in aliis quæ Deus imperasset.

Non placeat.
Verum hoc modo etiam existimo impossibile, Angelos fuisse promeritos suam beatitudinem, siue illa posita fuerit in visione siue in dilectione Dei. Primum quidem si dicamus beatitudinem Angelorum positam fuisse in dilectione Dei, mereri non potuerunt illam per alia opera, quoniam, vt opus aliquod sit meritorium alicuius præmij, debet esse, ordine saltem secundū naturam, prius ipso præmio, hic autem ordo prioris non debet ex voluntate libera, etiam ipsius Dei, assignari, sed

ex ipsa natura operis, & præmij collatorum interesse: atqui cetera opera beati, præter dilectionem, non possunt sua natura esse priora ipso præmio, quatenus digna illo; qua quidem ratione deberent esse priora: quoniam vt aliquod opus beati dignum sit vita æterna, supra natura postulat procedere ab homine iusto & in charitate existente, vt omnibus manifestum est: ergo vt beatus per aliquod opus simul tempore, aut postea tempore mereatur beatitudinem, debet etiam considerari sanctus per gratiam & charitatem: charitas autem prius est principium dilectionis, quæ est eius propria operatio, quam intelligatur iustificatum habens charitatem alia opera facere: aut saltem non potest intelligi homo sanctus prius natura opera alia, quam proprium opus charitatis, quam habet cum eo ipso, quod supponimus in aliquo Angelo charitatem, supponimus etiam principium cognitionis Dei, quæ in beatis est clara visio: cumque naturaliter & necessario, vniuersa expectata alia operatione lumen gloriæ, quod datur ad videndum Deum; moueat intellectum ad visionem Dei, & visionem Dei statim consequatur naturaliter & necessaria dilectio, nulla alia expectata operatione: fieri nequit, vt per alia opera beati mereantur ipsam visionem, aut dilectionem, in quarum altera, aut vtraque dicimus positam esse beatitudinem. Et idem argumentum fieri potest, si dicamus, beatitudinem esse in delectatione: quia vt per alia opera beatitudinem quis mereretur, necesse erat, opera illa priora esse aliquo modo ipsa visione, & dilectione, aut delectatione: atqui, vt probatum est nulla expectata alia operatione villo modo, qui præteritum est lumine gloriæ, videtur amat, & delectatur de Deo: ergo per nullum aliud opus aliquam illarum operationum quis mereri potest. Adde, quod cum hæ operationes visionis Dei, dilectionis, & delectationis sequantur omnino necessario, posito semel lumine gloriæ: videtur omnino superfluum, imo impossibile, in eodem instanti temporis concedere meritum illarum: nam ea quæ necessario sequitur, non dantur ex meritis. Quare solum possemus meritum assignare ad impetrandum lumen gloriæ, quod cetera necessario consequantur. Quamuis autem Angeli promeriti essent in eodem instanti lumen gloriæ, non dicerentur meruisse beatitudinem, vt supra contra Ricardum notauimus. An vero dilectio Dei in patria aliquo modo operetur, vel influat in aliquid in reliqua opera illius instantis, & sequentis, ratione cuius non possit ipsa dilectio sub merito illorum cadere, dicemus 3. p. quest. 9. art. 4. nam ibi etiam de Christo disputatum est, an mereri potuerit suam beatitudinem, quam ab initio suæ cōceptionis habuit.

Duo alij modus.
Demum duos alios modos defendendi præcedentem opinionem obiter assignat Egidius loco citato. Vnus est, vt actus dilectionis, quatenus est à libero arbitrio, sit meritum: ipse vero quatenus est informatus gratia, sit præmiū. Alter modus est, vt in beatis prius natura fuerit gratia imperfecta, & hac ratione fuerit principium meriti: postea vero fuerit consummata & perfecta, & hac ratione fuerit principium præmij: qui sane posterior modus videtur fuisse Bonauent. & S. Thomæ locis citatis. Ceterum hos duos modos nihili facit Egidius, & merito: sunt enim manifeste absurdi: prior quidem, quia neque dilectio Dei,

Repetitur.

Dei, præfertim in patria, considerari prout à solo libero arbitrio: siquidem consensus voluntatis, qui est opus gratiæ, totus est à libero arbitrio, & totus à gratiâ: non vicissim, sed simul: non separatum, sed mixtum, vt supra notauimus ex Bernardo disp. 88. capit. 5. posterior etiam modus absurdus est: quoniam gratiâ perfecta, hoc est, consummata, quæ est principium præmij, & gratiâ imperfecta, hoc est, non consummata, quæ est principium meriti, non differunt penes intentum, & remissum, sed penes statum viæ, & patriæ: nam gratiâ viæ dicitur non consummata: gratiâ vero patriæ dicitur consummata: impossibile autem est, in eodem instanti temporis eandem gratiâ esse in patria, & in viâ: hoc enim esset, simul esse in patria, & extra patriam: ergo impossibile est, simul duratione gratiâ esse consummatam, & non consummatam: prius autem natura esse non consummatam, & principium meriti.

24.

25.

Ex dictis colligitur, secundum sententiam, quam capite præcedenti retulimus, quocumque modo explicatam falsam esse: constat etiam, fundamentum prædictæ opinionis præcedenti capite allatum infirmum admodum esse: tam quamuis non repugnet, simul duratione esse meritum, & præmij aliquid, quale est augmentum charitatis, quod recte esse potest cum merito ipsius: tamen meritum non potest esse simul duratione cum quouis genere præmij: repugnat enim omnino, meritum simul esse cum præmio beatitudinis, vt hætenus probatum est. Quare reliqui omnes Doctores, qui de viâ & præmio Angelorum disputant inferius allegandi, in id conspirant, vt Angelus prius tempore & duratione meriti debuerit beatitudinem, quam illam habere.

CAPVT VI.

Quid de hac re sentiant Caietanus & alij.

Quamquam cæteri Doctores, vt dixi, in eo conueniant, vt Angelus prius duratione promeritus fuerit vitam, quam illam adeptus: variant tamen in assignanda hac viâ, & merito Angelorum, vt sigillatim videbimus. Doctores autem, quorum opiniones inferius referemus, non tantum loquuntur de merito bonorum ad beatitudinem, sed etiam de viâ malorum, & vtramque inuicem comparant. Tertia igitur opinio sit Caietani, infra quæst. 63. art. 6. qui docet primum Angelorum bonorum viam vno instanti solum durasse, in quo creati sunt, & beatitudinem meruerunt, sed nondum eam adepti fuerunt; postea vero in sequenti instanti meritum illorum fuisse terminatum, & simul concessam eis beatitudinem: in quo quidem aliqua ratione cum præcedenti sententia videtur Caietani, conuenire. Dicit autem, in secundo instanti fuisse Angelorum meritum terminatum, quia fuit quasi in termino, & in facto esse, quod tamen in viâ erat, veluti in fieri. Hanc partem huius sententiæ nulla ratione probat Caietanus, nec video, quo pacto confirmari possit, solum autem videtur à Caietano excogitata, vt explicaret mentem S. Thom. infra quæst. 63. art. 6. vbi asserit, Angelos bonos per vnum actum meritum fuisse beatitudinem consequutos, quam mali etiam adepti fuissent post primum instans in quo meruerunt, nisi impedimentum peccati ap-

posuissent: vt videtur enim Caiet. nullam aliam differentiam esse potuisse inter bonos, & malos, quando quidem vtrique in primo instanti in gratiâ creati gloriam meruerunt, nisi quod mali non consummarunt meritum suum, nec illud terminatum habuerunt: boni autem habuerunt illud ad vltimam ad terminum beatitudinis. In eadem sententia putat Caietanus fuisse Sanctum Thomam in quodlibet 9. art. 8. iuxta hanc sententiam & effecrimen assignatum inter bonos & malos. Theologi nonnulli recentiores, qui Caietano consentiunt, docent deinde malorum Angelorum viam ita fuisse dispositam, vt in primo instanti mererint gloriam cum bonis in secundo vero peccauerint, simulque in termino damnationis & pœnæ fuerint, ita tamen, vt simul quidem fuerint peccatum & damnatio, sed prius natura peccatum tantquam meritum damnationis: loquuntur autem de damnatione, quæ dicitur pœna damni, non autem de pœna sensus, quæ est pœna ignis. Quare consequenter affirmant, in secundo instanti, quo Angeli peccarunt, adhuc in celo mansisse, & in sequenti, nempe in tertio ad ignem inferni descendisse. Hac igitur ratione de malis philosophantur recentiores nonnulli, vt patem videatur oblectare rationem in viâ bonorum, & malorum.

Hæc tamen sententia mihi nequaquam probatur: nam præterquam quod nullo fundamento fulciri potest, nec ad explicandam mentem Doctoris sancti necessaria est, manifeste rationi aduersatur. Primum autem si de S. Thom. in illo quodlibet loquamur, in ea sane sententia fuit, quam proxime impugnauimus, vt simul tempore fuerint meritum bonorum Angelorum, & præmij beatitudinis; nec tibi dixi, meritum bonorum Angelorum in beatitudine fuisse terminatum, & in viâ inchoatum, sicut hæc opinio contendit, sed plane docuit, meritum bonorum simul incepisse, & fuisse cum ipsâ beatitudine, & non antea. Quomodo autem intelligendum sit id, quod ex ipso retulimus in articulo 6. quæstionis sequentis inferius explicabitur.

Deinde quomodoque Caietanus intelligit consummationem & terminationem meriti in patria, eius opinio defendi non potest, vt inductione constabit. Atque enim per consummationem & terminationem meriti in patria, nihil aliud intelligit, quam consequutionem ipsam præmij, quo videtur meritum veluti suo fine confirmari & terminari: & hac ratione verum quidem est, omne meritum non tantum Angelum, sed etiam hominis, in patria confirmari: at vero hoc modo nihil peculiari meriti fuisset in Angelis bonis, quod non fuisset in demonibus, propter quod bonis data esset beatitudo, demonibus autem negata: si quidem vtrique pares fuissent in viâ quoad sanctitatem, & meritum, hoc est, vtrique sancti fuissent, & equalis fuisset duratio viæ in vtriusque, quare & demonibus solum defuisset, post primum meritum gloriæ terminationem, qua meritum eorum consummaretur, licet etiam meritum bonorum Angelorum consummationem & terminationem est. Aut per consummationem & terminationem meriti bonorum Angelorum in patria & beatitudine, Caietani intelligit continuationem aliquam meriti præcedentis, vel licet nouum aliquod meritum additum meriti viæ: & neutro modo defendi potest prædicta opinio.

Caietani sententia Angelos in secundo instanti terminasse meritum & habuisse beatitudinem.